



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

II. Explicatio illius rescripti. Causa decimarum recensetur inter spiritualia. Si tamen insolitæ decimæ peterentur, Reges exactionem prohibuerunt; & excommunicationes, si quæ ob eam rem latæ essent, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

die coram nobis veniatis Parisius, & Nos cum nostri deliberatione Consilij providebimus super his prout servata pace & salute Ecclesie & patrie faciendum fuerit & ad nos pertinebit. Alioquin deesse non poterit quo minus ad vitanda hæc scandala & pericula que inde possunt exurgere, provideamus de remedio opportuno. Et quid inde facere volueritis, Seneschallo nostro Santonensi, per quem presentes literas vobis presentari volumus, respondeatis, ut juxta responsionem vestram circa talia possit rationabiliter provideri. Datum Parisius die septima Feb. 1312. Mandamus vobis quatenus dictas literas eidem presentetis. Et si ipse contenta in eisdem literis facere recusaverit, aut plus debito distulerit, bona ipsius temporalia tamdiu ad manum nostram teneatis, donec ipse premissa adimpleverit. Actum Parisius die 7. Februarij anno 1312.

*C. Casus. De præf. c. 3. De iudicij. Glossa in c. Quæstio. De decimis.*

*Philippi constitutio: De cognitione decimarum non feudalium in petitorio vel possessorio, præsertim inter ecclesiasticas partes, genus nostræ se nullatenus intravit.*

*Covarruvias lib. 1. Variar. c. 17. §. 8. vers. nono.*

II. Vt autem hujus rescritti vis, quantum ad quæstionem istam illustrandam pertinet, penitus intelligatur, sciendum est jus percipiendi decimas inter res spirituales ab omnibus recenseri. unde sequitur materiam illam ad ecclesiasticam jurisdictionem pertinere. Quod obtinebat olim apud Gallos, & constitutione Philippi IV. Francorum Regis anno MCCCIII. lata confirmatum fuit; dummodo decimarum in feudum datarum controversia non moveretur. Attamen si decimarum petitio fieret ab Episcopis vel ceteris Clericis adversus prædiorum possessores, quarum solutio in useta esset in iis locis unde exigebantur, Reges nostri non alienum existimarunt à munere suo huic negotio auctoritatem suam interponere, illas exactiones insolitas impedire, excommunicationum, si quæ ab Episcopis in recusantes latae essent, revocationem indicare, & eam pignoribus captis urgere, ut docuit rescritum à me prolaturum.

III. Certum quidem est ex omnium sententia decimas personales consuetudine aboleri posse, & prædialium quantitatem ad minorem decima fructuum parte redigi posse, seu quotam præscribi. Certum quoque est, ex Pauli Castrensis aliorumque Iuriconsultorum opinione, eam consuetudinem quæ in plerisque orbis Christiani regionibus viget, esse legitimam, nempe ut ex certo fructuum genere nulla solvatur decima, utpote ex scæno, herbis, & oleo. Vnde sequitur regiam constitutionem, qua decimarum ejus generis solutio prohibetur, summa quidem ratione niti, ut observat Covarruvias loquens de Caroli V. Imperatoris & Hispaniarum Regis lege Toleri lata anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto. Sed summus ille Iuriconsultus non docet quare ratione ad suam auctoritatem secularis

Princeps materiam illam merè ecclesiasticam revocare potuerit. Itaque quod ille omisit in tuenda Principum suorum lege, id ego agere conabor pro asserenda constitutione jam olim à Regibus nostris decreta. Idem enim Rex Philippus IV. qui decimarum cognitionem à iudicibus suis amovit, eadem lege Seneschallis suis præcepit ut à nova & insolita decimarum exactione cives adversus Clericos defenderent, & rescritto quod supra protuli, exequendæ legis & tuendorum civium modum præscripsit.

IV. Vera itaque ratio ob quam Philippus negotium istud sibi vindicat, & scandalo petitur quod è nova & insolita exactione decimarum oriebatur, cujus proinde depulsio à regio patrocinio expectanda erat. Id proficitur conceptis verbis in dicto rescritto ad Episcopum Santonensem dato: *Contra consuetudinem diutius observatam, decimam exigitis de rebus de quibus præstari non consuevit, novumque modum decimandi inducitis in grave scandalum provincie. Mox: Nos igitur his scandalis obviare volentes. Infra: Providebimus super his prout servata pace & salute Ecclesie & patrie faciendum fuerit.* Ex ea decimarum nova petitione scandala & offensiones oriri non dissimulant Glossator, Ioannes Turrecremata, & Felinus, qui eam ob causam aiunt Ecclesiam ab earum exactione cessare. Sed addere debuerant exactionem illam à Principibus quoque repressam, ad procurandam Ecclesie & regni pacem, saltem in hoc Galliarum regno.

V. Ex novitatibus quæ veterem Ecclesie vel regni statum convellunt, discordias, scandala, & offensiones manare probavimus libro superiore, & ad Regis officium pertinere ut pacem Ecclesie & regni inviolatam præstet, legibus latis aut aliis remediis impedienda amolendo. Quibus addi potest, Leonem I. agnovisse hanc sollicitudinem Principibus competere, ne scandala in rebus ecclesiasticis emergant, in epistola ad Theodosium: *Siquidem præter imperiales & publicas curas, piissimam sollicitudinem Christiane religionis habetis, ne scilicet in populo Dei aut schismata aut hereses aut ulla scandala convalescant.* Eadem fuit Anastasij Pontificis sententia, qui Anastasium Imperatorem rogavit ut nomen Acacij Episcopi Constantinopolitani jam facti non recitaretur in mysteriis inter ceteros Episcopos. Damnatu erat à Felice Papa. Sed quia adversus illam sententiam pluribus exceptionibus utebantur Græci, prudenter Anastasius non urget executionem rei judicatae. Novam rationem usurpat, scilicet scandali vitandi, quod unitatem Ecclesiarum ob nomen Acacij

*Philippus & Seneschallus ad nos, rionem. Castellanum. quoniam. casus. de iudicij. Glossa in c. Quæstio. De decimis.*

*Glossa in c. 3. de decimis in c. 1. de iudicij. Turrecremata de iudicij. c. 4. Felinus de iudicij. c. 1. de iudicij.*

*Leo I. ep. ad Theod.*